

SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo explentes.

TRIBUS 5. HOLOTHURIA (vera).

Subcylindricae, dorso, sed minus quam Psolorum, convexo, extremitatibus rotundatis, ano rotundo postico, ore rotundo antico, plerumque paululum infero. Tentacula viginti, peltata, satis brevia, in duplici alternantia serie. Pedes tubulosi retractiles fortasse in omnibus etiam in dorso inveniuntur, et apice disco concavo instructi sunt, quo cucurbitulae instar firmari possunt.

Sp. 11. *Scabra*. Collect. Schoenl.

Semipedalis aut pedalis, subcylindrica, ventre scilicet planiusculo, extremitatibus rotundatis, latere submarginato. Dorsum albedo-cinereum, sed sulcis et rugis frequentissimis multum inest pigmenti nigri, ut nonnunquam, praesertim contractorum individuorum, nigrum videatur dorsum. In ventre cutis tenuior, color sensim decrescens albidus, in nonnullis paululum rubicundus. Tota epidermis scabra est, ut si arena obsita esset. Ita etiam pedum, quae cum in dorso, tum in ventre inveniuntur, capitula scabra, dura, inorganica videntur. Pedes $\frac{1}{2}$ lineam longi, opaci, conici, ex nigris prodeuntes corii perforationibus. Corii duplicatura crenata paene infundibuliformis tentaculorum circumdat circulum.

Nova ex ins. Celebes species.

Nota. Holothuriae species aliqua *albida* in Descript. de l'Égypte. Echinodermes Pl. IX. F. 5. huc fortassis ponenda.